

» Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus » crucifixus est, et ego mundo¹. » Huic ergo tali fronti opprobrium solum poterat objici. Nam nec confusio poterat esse in conscientia jam sanata, nec verecundia in fronte tam libera. Sed cum objiceretur quibusdam quod Christum interfecerint, merito compuncti sunt mala conscientia, et salubriter confusi atque conversi; ut possent dicere: « Tu cognovisti confusionem meam². » Tu ergo, Domine, nosti, non solum opprobrium meum, sed et confusionem meam, in quibusdam et verecundiam; qui quamvis in me credant, publice me tamen coram impiis confiteri erubescunt, plus apud se valente lingua humana, quam promissione divina. Videte ergo eos: et commendantur tales Deo, non ut sic relinquat, sed ut eos adjuvando perficiat. Dixit enim et quidam credens et titubans: « Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam³. In conspectu tuo sunt omnes tribulantes me⁴. » Quare mihi sit opprobrium, tu nosti, quare confusio, tu nosti; quare verecundia, tu nosti; ergo erue me propter inimicos meos, quia tu nosti ista mea, illi non norunt; ac per hoc, quia ipsi in conspectu tuo sunt, ista nescientes non poterunt vel confundi vel corrigi, nisi manifeste me erueris propter inimicos meos.

V. « Opprobrium expectavit cor meum et miseriam⁵. » Quid est, « Expectavit? » Futura ista prævidit, futura ista prædixit. Non enim venit ad aliud. Si mori nollet, nec nasci vellet: causa resurrectionis utrumque fecit. Duo enim quædam nobis in genere humano nota erant, unum autem incognitum. Nasci quippe homines et mori sciebamus: resurgere et in æternum vivere, nesciebamus. Ut ostenderet nobis quod non noveramus, suscepit duo quæ

¹ Gal. vi, 14. — ² Psal. cxxxviii, 2. — ³ Marc. ix, 23. — ⁴ Psal. lxxviii, 21. — ⁵ Ibid.

noveramus. Ad hoc ergo venit. « Opprobrium expectavit » cor meum et miseriam. » Sed miseriam cujus? Expectavit enim miseriam, sed magis crucifigentium, magis persequentium; ut in illis esset miseria, in illo misericordia. Miseriam quippe illorum miserans etiam pendens in cruce: « Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid » faciunt¹. Opprobrium expectavit cor meum et miseriam: et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit. » Quid ergo profuit, quia expectavi? Hoc est, quid profuit, quia prædixi? quid profuit, quia dixi ideo me venisse? Ventum est ut impleretur quod dixi: « Sustinui qui simul » contristaretur, et non fuit; et consolantes, et non inveni²: » hoc est, non fuit. Quod enim superiore versu dixit: « Sustinui qui simul contristaretur; » hoc sequenti versu, « Et consolantes. » Quod autem superiore versu, « Et non fuit: » hoc sequenti versu, « Et non inveni. » Ergo non altera subjecta, sed superior repetita sententia est. Quam sententiam si retractemus, quæstio nonnulla poterit oboriri. Numquid enim Discipuli ejus non sunt contristati, quando ductus est ad passionem, quando ligno suspensus, quando mortuus? Usque adeo contristati, ut illa Maria Magdalena, quæ primo eum vidit, gaudens lugentibus nuntiaret quid viderit³. Evangelium ista loquitur; non nostra præsumptio, non nostra suspicio est: constat doluisse, constat luxisse Discipulos? Extraneæ mulieres flebant, quando ad passionem ducebatur, ad quas conversus ait: « Flete; sed vos, nolite me⁴. » Quomodo ergo sustinuit qui simul contristaretur, et non fuit? Attendimus, et invenimus tristes, et lugentes, et plangentibus: unde nobis mira videtur ista sententia: « Sustinui » qui simul contristaretur, et non fuit; et consolantes, et

¹ Luc. xxiii, 34. — ² Psal. lxxviii, 21. — ³ Joan. xx, 18, et Marc. xvi, 9. — ⁴ Luc. xxiii, 28.

» non inveni. » Intendamus diligentius, et videbimus eum sustinuisse qui simul contristaretur, et non fuisse. Contristabantur enim illi carnaliter de vita mortali, quæ mutanda fuerat morte, et reparanda resurrectione: hinc erat illa tristitia. De illis enim esse debuit, qui cæci Medicum occiderunt, qui tanquam perniciose febrientes phrenetici, faciebant injuriam ei, a quo illis fuerat salus allata. Ille volebat curare, illi sævire: hinc tristitia medico. Quære utrum invenerit hujus tristitiæ comitem. Non enim ait: « Sustinui qui contristaretur, et non fuit; » sed, « Qui simul » contristaretur, id est, ex ea re, qua ego, contristaretur, et non inveni. » Petrus certe plurimum amavit, et in fluctus calcandos se sine dubitatione projecit, et ad vocem Domini liberatus est¹: et eum ductum ad passionem amoris audacia consecutus, tamen turbatus, ter negavit. Unde, nisi quia malum illi videbatur mori? Id enim devitabat quod malum putabat. Hoc ergo et in Domino dolebat, quod ipse devitabat. Propterea et ante dixerat: « Absit a te, Domine, propitius tibi esto, non » fiet istud: » quando meruit audire: « Satana; » posteaquam audierat: « Beatus es Simon Bar-Jona². » Ergo in tristitia quam habebat Dominus de illis, pro quibus oravit: « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt³: » nullum comitem invenit. « Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit. » Prorsus non fuit. « Et consolantes, et non inveni. » Qui sunt consolantes? Proficientes. Ipsi enim nos consolantur, ipsi sunt solatio omnibus prædicatoribus veritatis.

VI. « Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea » potaverunt me aceto⁴. » Factum est quidem ad litteram, et Evangelium hoc nobis indicat. Sed intelligendum

¹ Matth. xiv, 29 et 31. — ² Id. xvi, 17, et 22, 23. — ³ Luc. xxiii, 34. — ⁴ Psal. lxxviii, 22.

est, fratres, hoc ipsum quod non inveni consolantes, hoc ipsum quod non inveni qui simul contristaretur, hoc fuit fel meum, hoc mihi amarum, hoc acetum fuit: amarum propter mœrorem, acetum propter eorum vetustatem. Namque legimus illi quidem oblatum fel, sicut Evangelium loquitur¹; sed in potum, non in escam. Verumtamen sic accipiendum et impletum, quod hic fuerat ante prædictum: « Dederunt in escam meam fel: et in isto ipso facto, non solum in hoc dicto, mysterium requirere debemus, secreta pulsare, velum templi conscissum intrare, videre ibi sacramentum, vel quod ita dictum est, vel quod ita factum est. « Dederunt, inquit, in escam » meam fel. » Non ipsum quod dederunt esca erat: potus enim erat; sed, « In escam dederunt: » quia jam Dominus escam acceperat, et in ipsam injectum est fel. Acceperat autem ipse escam suavem, quando Pascha manducavit cum Discipulis: ibi sacramentum sui corporis demonstravit². In hanc escam tam suavem, tam dulcem unitatis Christi, quam commendat Apostolus, dicens: « Quia unus panis, unum corpus multi sumus³: » in hanc escam suavem quis est qui dat fel, nisi contradictores Evangelii, tanquam illi persecutores Christi? Minus enim peccaverunt Judæi crucifigentes in terra ambulantem, quam qui contemnunt in cælo sedentem. Quod ergo fecerunt Judæi, ut in escam quam jam acceperat darent bibendum amarum illum potum, hoc faciunt qui male vivendo scandalum inferunt Ecclesiæ: hoc faciunt hæretici amaricantes, sed non exaltentur in semetipsis⁴. Dant fel super tam jucundum cibum. Sed quid facit Dominus? Non admittit ad corpus suum. Hoc sacramento ipse Dominus, quando illi obtulerunt fel, gustavit, et noluit bi-

¹ Matth. xxvii, 34. — ² Luc. xxii, 19. — ³ I Cor. x, 17. — ⁴ Psal. lxxv, 7.

bere¹. Si non eos pateremur, nec omnino gustaremus : quia vero necesse est eos pati, necesse est gustari. Sed quia in membris Christi tales esse non possunt, gustari possunt, recipi in corpus non possunt. « Et dederunt in » escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. » Sitebam, et acetum accepi : id est, fidem illorum desideravi, et vetustatem inveni.

VII. « Fiat mensa eorum coram ipsis in muscipulam². » Qualem muscipulam mihi exhibuerunt, dando mihi talem potum, talis muscipula illis sit. Quare ergo, « Coram » ipsis? » Sufficeret, « Fiat mensa eorum in muscipulam. » Sunt tales qui iniquitatem suam noverunt, et in ea pertinacissime perseverant : coram ipsis fit muscipula eorum. Perniciosi nimis ipsi sunt, qui descendunt in infernum viventes³. Denique de persecutoribus quid dictum est? « Nisi » quia Dominus erat in nobis, fortasse vivos absorbuissent » nos⁴. » Quid est, « Vivos? » Consentientes illis, et scientes quia eis consentire non debebamus. Ergo coram ipsis fit muscipula, et non corriguntur. Vel quia coram ipsis est muscipula, non incidant? Ecce norunt muscipulam, et pedem mittunt, et tenenda colla subjiciunt. Quanto melius erat averti a muscipula, peccatum cognoscere, errorem damnare, amaritudine carere, in corpus Christi transire, Domini gloriam quærere! Sed tantum valet animi præsumptio, ut et coram ipsis muscipula sit, et incidant in eam. « Obscurentur oculi eorum, ne videant⁵, » sequitur hic : ut quoniam sine causa viderunt, fiat illis et non videre. « Fiat ergo mensa eorum coram ipsis in muscipulam. » Coram ipsis fiat in muscipulam, » non optantis est, sed prophetantis : non ut fiat, sed quia fiet. Hoc sæpe commendavimus, et meminisse debetis : ne quod præsa-

¹ Math. xxvii, 34. — ² Psal. lxxviii, 23. — ³ Id. liii, 16. — ⁴ Id. cxxiii, 3. — ⁵ Id. lxxviii, 24.

mens in Spiritu Dei dicit, malevole imprecari videatur. Fiat ergo; nec potest aliter fieri, nisi ut talibus ista eveniant. Et quoniam videmus per Spiritum Dei dici talia eventura malis; ad hoc in illis hæc intelligamus, ut nos talia devitemus. Hoc enim nobis prodest intelligere, et ex inimicis proficere : « Fiat ergo illis et in retributionem » et in scandalum. » Et numquid injustum est hoc? Justum est. Quare? Quoniam « In retributionem. » Non enim aliquid illis accideret, quod non debebatur. « In retributionem fit, et in scandalum : quia ipsi sibi sunt scandalum.

VIII. Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum » illorum semper incurva. » Hoc consequens est. Nam quorum oculi fuerint obscurati, ne videant, sequitur ut dorsum illorum incurvetur. Unde hoc? Quia cum cessaverint superna cognoscere, necesse est ut de inferioribus cogitent. Qui bene audit : Sursum cor, curvum dorsum non habet. Erecta quippe statura expectat spem repositam sibi in celo; maxime si præmittat thesaurum suum, » quo sequatur cor ejus¹. At vero qui futuræ vitæ spem non intelligunt, jam excæcati, de inferioribus cogitant : et hoc est habere dorsum curvum; a quo morbo Dominus mulierem illam liberavit. Alligaverat enim eam Satanas annis decem et octo, et eam curvatam erexit : et quia sabbato faciebat, scandalizati sunt Judæi; bene scandalizati sunt de illa erecta, ipsi curvi². « Et dorsum illorum semper incurva. »

IX. Effunde super eos iram tuam, et indignatio iræ tuæ » comprehendat eos³. » Plana sunt : sed tamen « Comprehendat eos, » quasi fugientes agnoscimus. Quo autem fugituri sunt? In cœlum? Tu ibi es. In infernum? Ades⁴. Pennas suas nolunt recipere, ut volent in directum : « Comprehendat eos indignatio iræ tuæ, » non eos permittat effugere.

¹ Math. vi, 21. — ² Luc. xiii, 16. — ³ Psal. lxxviii, 25. — ⁴ Id. cxxxviii, 8.

X. « Fiat habitatio eorum deserta¹. » Hoc jam in manifesto. Quomodo enim liberationem suam non solum occultam commendavit dicens : « Intende animæ meæ, et » redime eam; » verumetiam manifestam secundum corpus, adjiciens : « Propter inimicos meos erue me : » ita et his futuras quasdam calamitates prædicit occultas, de quibus paulo ante loquebatur. Nam quotusquisque est, qui intelligat infelicitatem hominis, cujus cor jam cæcum est? Tollantur illi oculi corporis, omnes homines miserum dicunt : perdat oculos mentis, sed tamen circumfluat omni abundantia rerum, felicem appellant; sed qui similiter mentis oculos perdiderunt. Ergo jam quid aperte, ut appareat omnibus quia vindicatum est in eis? Nam cæcitas Judæorum, occulta vindicta est : manifesta vero quæ? « Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum » non sit qui inhabitet. » Factum est hoc in ipsa civitate Jerusalem, in qua sibi visi sunt potentes clamando adversus Filium Dei : « Crucifige, crucifige²; » et prævalendo, quia potuerunt occidere eum qui mortuos suscitabat. Quam sibi potentes, quam magni visi sunt? Conscuta est postea vindicta Domini; expugnata est civitas, debellati Judæi, occisa nescio quot hominum millia. Nullus illuc modo permittitur accedere Judæorum : ubi potuerunt adversus Dominum clamare, ibi a Domino non permittuntur habitare. Perdiderunt locum furoris sui : atque utinam vel nunc agnoscant locum quietis suæ. Quid profuit illis Caiphas dicendo : « Nos si istum dimiserimus » sic, venient Romani, et tollent nobis et locum et regnum³? » Ecce et non eum dimiserunt vivum, et ille vivit; et venerunt Romani, et tulerunt eis et locum et regnum. Modo audiebamus, cum Evangelium legeretur : « Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios

¹ Psal. LXVIII, 26, et Act. I, 20. — ² Joan. XIX, 6. — ³ Id. XI, 48.

» tuos, tanquam gallina pullos suos sub alas suas, et non » luisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta¹. » Hoc et hic dicitur : « Fiat habitatio eorum deserta, et in » tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Non sit qui » inhabitet, » sed ex numero illorum. Nam loca illa omnia et hominibus plena sunt, et Judæis inania.

XI. Quare hoc? « Quoniam quem tu percussisti, ipsi per » secuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addi » derunt². » Quid ergo peccaverunt, si a Deo percussum persecuti sunt? Quid animo eorum imputatur? Malitia. Nam id in Christo factum est quod oportebat. Pati utique venerat, et punivit per quem passus est. Nam Judas traditor punitus est, et Christus crucifixus est : sed nos redemit sanguine suo, et punivit illum de pretio suo. Projecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium quo ipse a Domino redemptus erat³. Factum est hoc in Juda. Sed cum videamus mensuram quamdam esse retributionis in omnibus, nec quemquam posse permitti amplius sævire, quam acceperit potestatem; quomodo illi addiderunt, aut quæ est ista percussio Domini? Nimirum ex persona locutus est ejus unde corpus acceperat, unde carnem assumpserat, id est, generis humani, ipsius Adæ, qui percussus est primo morte propter peccatum suum⁴. Mortales ergo hic homines cum pœna nascuntur : huic pœnæ addunt, quicumque homines fuerint persecuti. Jam enim homo hic moriturus non esset, nisi illum Deus percussisset? quid ergo tu homo sævis amplius? Parum-ne homini est, quod aliquando moriturus est? Portat ergo unusquisque nostrum pœnam suam : huic pœnæ volunt addere qui nos persequuntur. Hæc pœna percussio est Domini. Dominus quippe sententia percussit hominem : « Qua die tetigeritis,

¹ Matth. XXIII, 37, 38. — ² Psal. LXVIII, 27. — ³ Matth. XXVII, 5. — ⁴ Gen. III, 6.

» inquit, morte moriemini¹. » Ex hac morte carnem susceperat, et vetus homo noster simul crucifixus est cum illo². Ex illius voce ista dixit : « Quem tu percussisti, ipsi » persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum » addiderunt. » Super quem dolorem vulnerum? Super dolorem peccatorum ipsi addiderunt. Vulnera enim sua peccata dixit. Sed ne ad caput respicias, ad corpus adverte; secundum cujus vocem dictum est ab ipso in illo Psalmo, in quo vocem suam ostendit, quia ejus primum versum de cruce clamavit : « Deus, Deus meus, respice in » me, quare me dereliquisti? » Ibi secutus ait : « Longe a salute mea verba delictorum meorum³. » Ipsa sunt vulnera inflicta a latronibus in via, ei quem levavit in jumentum suum : quem sacerdos et Levites transeuntes invenerant et contempserant, a quibus curari non potuit; transiens autem Samaritanus, misertus est ejus, accessit, et in jumentum proprium levavit⁴. Samarites latine custos interpretatur : quis autem custos, nisi Salvator Dominus noster Jesus Christus? Qui quoniam surrexit a mortuis jam non moriturus⁵, non dormit neque obdormiet qui custodit Israël⁶. « Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. »

XII. « Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum⁷. » Quid est hoc? Quis non expavescat? Deo dicitur : « Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum. » Unde apponet Deus iniquitatem? Habet enim iniquitatem quam apponat? Scimus enim verum esse quod dictum est per Paulum apostolum : « Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas » est apud Deum? Absit⁸. » Unde ergo : « Appone iniquitatem super iniquitatem? » Quomodo id intellecturi sumus? Adsit Dominus ut dicamus, et propter fatigationem vestram breviter dicere valeamus. Iniquitas ipsorum

¹ Gen. II, 17. — ² Rom. VI, 6. — ³ Psal. XXI, 2. — ⁴ Luc. X, 30. — ⁵ Rom. VI, 9. — ⁶ Psal. CXX, 4. — ⁷ Id. LXVIII, 28. — ⁸ Rom. IX, 14.

erat, quia hominem justum occiderunt : addita est alia, quia Filium Dei crucifixerunt. Sævire ipsorum tanquam in hominem fuit : « Sed si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent¹. » Illi iniquitate sua tanquam hominem occidere voluerunt : apposita est iniquitas super iniquitatem ipsorum, ut Filium Dei crucifigerent. Quis hanc iniquitatem apposuit? Ille qui dixit : Forte reverebuntur Filium meum, ipsum mittam². » Solebant enim occidere missos ad se servos, exactores locationis atque mercedis. Misit ipsum Filium, ut et ipsum occiderent. Apposuit iniquitatem super iniquitatem ipsorum. Et hæc Deus sæviendo fecit, an potius juste retribuendo? « Fiat enim illis, inquit, in retributionem et » in scandalum. » Meriti erant sic excæcari, ut Filium Dei non agnoscerent. Et hoc fecit Deus, apponens iniquitatem super iniquitatem ipsorum; non vulnerando, sed non sanando. Quomodo enim auges febrem, auges morbum, non morbum adhibendo, sed non succurrendo : sic quia tales fuerunt ut curari non mererentur, in ipsa malitia quodam modo profecerunt, sicut dictum est : « Mali » autem et facinorosi proficiunt in pejus³ : » et apposita est iniquitas super iniquitatem ipsorum. « Et non intrent » in justitia tua. » Hoc planum est.

XIII. « Deleantur de libro viventium⁴. » Aliquando enim illic scripti erant? Fratres, non sic accipere debemus, quoniam quemquam Deus scribat in libro vitæ, et deleat illum. Si homo dixit : « Quod scripsi, scripsi, » de titulo ubi scriptum erat, « Rex Judæorum⁵ : » Deus quemquam scribit et delet? Præscius est, prædestinavit omnes ante constitutionem mundi regnatos cum Filio suo in vita æterna⁶. Hos conscripsit; ipsos continet li-

¹ I Cor. II, 8. — ² Matth. XXI, 37. — ³ 2 Tim. III, 13. — ⁴ Psal. LXVIII, 29. — ⁵ Joan. XIX, 22. — ⁶ Rom. VIII, 29.

ber vitæ. Denique in Apocalypsi quid ait Spiritus Dei, cum de pressuris ab Antichristo futuris loqueretur eadem Scriptura? « Consentient illi, inquit, omnes qui non sunt » scripti in libro vitæ¹. » Proinde sine dubitatione non erunt consensuri qui scripti sunt. Isti ergo quomodo inde delentur, ubi nunquam scripti sunt? Hoc dictum est secundum spem ipsorum, quia ipsi se scriptos putabant. Quid est, « Deleantur de libro vitæ? » Et ipsis constet, non illos ibi esse. Ex hac locutione dictum est in alio Psalmo: « Cadent a latere tuo mille, et dena millia a dextris tuis²: » id est, multi scandalizabuntur, et ex eo numero qui se sperabant sessuros tecum, et ex eo numero qui se sperabant stultos ad dexteram tuam, separati ad hædis sinistris³: non quia cum ibi steterit aliquis, postea cadet, aut cum sederit cum illo quisquam, abjicietur; sed quia multi casuri erant in scandalum, qui jam ibi se esse putabant, id est; multi qui se sperabant sessuros tecum, multi qui se speraverant stultos ad dexteram, ipsi casuri sunt. Sic ergo et hic illi qui se sperabant tanquam merito justitiæ suæ in libro scriptos Dei, quibus dicitur: « Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere⁴: » cum perducta fuerit damnatio eorum etiam ad cognitionem eorum; delebuntur de libro viventium, id est, non ibi se esse cognoscent. Nam versus qui sequitur, exponit quod dictum est: « Et cum justis non scribantur. » Dixi ergo: « Deleantur » secundum spem eorum: secundum autem æquitatem tuam quid dico? « Non scribantur. »

XIV. « Pauper et dolens ego sum⁵. » Quare hoc? An ut agnosceremus quod per amaritudinem animi maledicit pauper iste? Multa enim dixit quæ illis eveniant. Et quasi ei diceremus: Ut quid talia? Noli tantum. Respondet,

¹ Apoc. xiii, 8. — ² Psal. xc, 7. — ³ Matth. xxv, 33. — ⁴ Joan. v, 39. — ⁵ Psal. lxxviii, 30.

« Pauper et dolens ego sum. » Perduxerunt me ad egestatem, ad istum dolorem deposuerunt, ideo ista dico. Non est tamen stomachatio maledicentis, sed prædictio prophetantis. Nam de paupertate sua et dolore suo quædam quæ posterius dicit, commendaturus est nobis, ut discamus esse pauperes et dolentes. « Beati enim pauperes, quoniam » ipsorum est regnum cælorum. Et, Beati qui lugent, » quoniam ipsi consolabuntur¹. » Hoc ergo ipse prius jam nobis ostendit; et ideo: « Pauper et dolens ego sum. » Totum corpus ejus hoc dicit. Corpus Christi in hac terra pauper est et dolens. Sed sint divites Christiani. Prorsus si Christiani sunt, pauperes sunt; in comparatione divitiarum coelestium quas sperant, omne aurum suum arenam deputant. « Pauper et dolens ego sum. »

XV. « Et salus vultus tui, Deus, suscepit me. » Numquid desertus est pauper iste? Quando tu dignaris pannosum pauperem applicare ad mensam tuam? Porro autem pauperem istum salus vultus Dei suscepit: in vultu suo abscondit ejus egestatem. De illo quippe dictum est: « Abscondit eos in abscondito vultus tui². » In illo autem vultu quæ sint divitiæ, vultis nosse? Divitiæ istæ hoc tibi præstant, ut quod vis, quando vis prandeas: illæ vero, ut nunquam esurias. « Pauper et dolens ego sum: et salus » vultus tui, Deus, suscepit me. » Ad quam rem? Ut jam non sim pauper, non sim dolens? « Laudabo nomen Dei » cum cantico, magnificabo eum in laude³. » Jam dictum est, pauper iste laudat nomen Dei cum cantico, magnificat eum in laude. Quando auderet cantare, nisi recreatus esset a fame? « Laudabo nomen Dei cum cantico, » magnificabo eum in laude. » Magnæ divitiæ. Quas gemmas laudis Dei de thesauro interiore protulit? « Magnificabo eum in laude. » Hæ sunt divitiæ meæ. « Dominus

¹ Matth. v, 3-5. — ² Psal. xxx, 21. — ³ Id. lxxviii, 31.

» dedit, Dominus abstulit. » Ergo miser remansit? Absit. Vide divitias: « Sicut Domino placuit, ita factum est; » sit nomen Domini benedictum¹. Laudabo nomen Dei » cum cantico, magnificabo eum in laude. »

XVI. « Et placebit Deo: » hoc quod eum laudabo, placebit: « Super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas². » Gratius illi erit sacrificium laudis, quam sacrificium vituli. « Sacrificium laudis glorificabit me, » et ibi via est in qua ostendam illi salutare Dei. Immola » Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua³. » Ergo laudabo Deum; et plus ei placebit quam vitulus novellus, cornua producens et ungulas. Amplius ergo placebit Deo laus ejus exiens de ore meo, quam magna victima adducta ad aram ipsius. An aliquid de cornibus et ungulis vituli hujus dicendum est? Qui bene instructus est, et laude Dei opulentus, et cornua debet habere quibus adversarium ventilet, et ungulas quibus terram excitet. Nostis enim hoc facere vitulos pubescentes, et in taurinam audaciam grandescentes. Nam ideo novellus est, propter vitam novam. Aliquis ergo hæreticus forte contradicit, cornibus ventiletur. Alius non contradicit, sed tamen terrenum abjecte sapit, ungulis excitetur. Ergo super hunc vitulum tibi placebit laudatio mea, jam illa post paupertatem et dolorem in æterna societate Angelorum, ubi nec adversarius erit in certamine ventilandus, nec piger de terra excitandus.

XVII. « Videant inopes, et lætentur⁴. » Credant, et spe gaudeant. Magis inopes sint, ut saturari mereantur: ne cum superbie saginam ructant, negetur eis panis quo salubriter vivant. « Quærite Dominum, » inopes, esurite, et sitite⁵; ipse est enim panis vivus qui de cælo descen-

¹ Job. 1, 21. — ² Psal. LXVIII, 32. — ³ Id. XLIX, 14 et 23. — ⁴ Id. LXVIII, 33. — ⁵ Matth. v, 6.

dit¹. « Quærite Dominum, et vivet anima vestra. » Quæritis panem, ut vivat caro vestra: Dominum quærite, ut vivat anima vestra.

XVIII. « Quoniam exaudivit pauperes Dominus. » Exaudivit pauperes, nec exaudiret pauperes, nisi essent pauperes. Vis exaudiri? Pauper esto: dolor de te clamet, non fastidium. « Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et compeditos suos non sprexit². » Offensus a servis, fecit eos compeditos: sed clamantes de compedibus non contempsit. Quæ sunt istæ compedes? Mortalitas, corruptibilitas carnis, compedes sunt quibus ligati sumus. Et vultis nosse istarum compedum gravitatem? Inde dicitur: « Corpus » quod corrumpitur, aggravat animam³. » Quando homines in sæculo divites esse volunt, istis compedibus pannos quærunt. Sed sufficiant panni compedum: tantum quære, quantum depellendæ necessitati satis est. Cum autem superflua quæris, compedes tuas onerare desideras. In tali ergo custodia vel solæ compedes remaneant. Sufficiat diei malitia sua⁴. De ista malitia clamamus ad Deum, « Quoniam exaudivit pauperes Dominus; et compeditos » suos non sprexit. »

XIX. « Laudent illum cæli et terra, mare et omnia repentia in eis⁵. Veræ divitiæ hujus pauperis istæ sunt, considerare creaturam, et laudare Creatorem. » Laudent illum cæli et terra, mare et omnia repentia in eis. » Et creatura sola ista laudat Deum, cum considerata ea laudatur Deus?

XX. Audi et aliud: « Quoniam Deus salvam faciet Sion. » Reparat Ecclesiam suam, gentes fideles incorporat Unigenito suo; non fraudat credentes in se præmio promissionis suæ. « Quoniam Deus salvam faciet Sion: et ædificabuntur

¹ Joan. vi, 51. — ² Psal. LXVIII, 34. — ³ Sap. ix, 15. — ⁴ Matth. vi, 34. — ⁵ Psal. LXVIII, 35.

» civitates Judææ¹. » Ipsæ sunt Ecclesiæ. Nemo dicat : Quando erit istud ut ædificentur civitates Judææ? O si velis agnoscere structuram, et esse lapis vivus, ut intres in eam! Et nunc civitates Judææ ædificantur. Juda enim confessio interpretatur. De confessione humilitatis ædificantur civitates Judææ: ut foris ab eis superbi remaneant, qui confiteri erubescunt. « Quoniam Deus salvam faciet Sion. » Quam Sion? Audi in sequentibus: « Et semen servorum » ejus obtinebunt eam, et qui diligunt nomen ejus inhabitabunt in ea². »

XXI. Psalmus finitus est, sed paululum istos duos versus non relinquamus: admonent enim nos aliquid, ne desperando in illam structuram non intremus. « Semen, » inquit, servorum ejus obtinebunt eam. » Jam ergo « Semen servorum ejus » qui sunt? Forte dicis, Judæi nati de Abraham: nos autem qui non sumus nati de Abraham, quomodo habebimus istam civitatem? Sed non sunt semen Abrahæ illi Judæi, quibus dictum est: « Si filii » Abrahæ estis, facta Abrahæ facite³. Semen ergo servorum ejus, imitatores fidei servorum ejus obtinebunt eam. » Denique ultimus versus superiorem exponit. Quasi enim turbatus, ne putares forte hoc de Judæis dici: « Et semen servorum ejus obtinebunt eam, » dicens: Nos semen gentium sumus, quæ idola coluerunt, et dæmonibus servierunt: quid ergo nobis in hac civitate sperandum est? statim subjecit ut præsumas et speres: « Et qui diligunt nomen ejus, inhabitabunt in ea. » Hoc est enim « Semen servorum ejus, qui diligunt nomen ejus. » Quia enim servi ejus dilexerunt nomen ejus; quicumque non diligunt nomen ejus, se dicant semen servorum ejus; et qui non diligunt nomen ejus, non se negent semen servorum ejus.

¹ Psal. lxxviii, 36. — ² Ibid. 37. — ³ Joan. viii, 39.

ENARRATIO

IN PSALMUM LXIX.

Sermo¹.

I. GRATIAS grano tritici², quia mori voluit et multiplicari³: gratias unico Filio Dei Domino et Salvatori nostro Jesu Christo, qui mortem nostram subire non dedignatus est, ut nos vita sua dignos faceret. Ecce qui singularis erat donec transiret, sicut dixit in Psalmo: « Singularis » ego sum donec transeam⁴: » quia sic erat singulare granum, ut in se haberet magnam multitudinis fecunditatem; in quantis granis passionem ejus imitantibus exultamus, quando natalitia Martyrum celebramus? Multa ergo membra ejus sub uno capite ipso Salvatore nostro charitatis et pacis vinculo colligata, sicut nosse dignamini, quoniam sæpissime audistis, unus homo sunt: et ipsorum ut unius hominis vox plerumque in Psalmis auditur, et sic clamat unus tanquam omnes, quia omnes in uno unus sunt. Audiamus ergo quoniam laboraverunt Martyres, et inter magnas tempestates odiorum in hoc sæculo periclitati sunt, non tam corpore, quod quandoque posituri erant, sed ipsa fide; ne deficientes et forte acerbis persecutionum cedentes doloribus vel amori vitæ hujus, amitterent quod promiserat Deus: qui non solum verbo, sed etiam exemplo abstulerat omnem timorem; verbo, dicens, « Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem

¹ Sermo iste in Martyrum solemnitate habitus est. — ² Vide D. Guillon, tom. xx, pag. 542-550. — ³ Joan. xii, 25. — ⁴ Psal. cxi, 10.